

Filio meo charo et obedienti  
Fridericu Ernestu Hoffmanna  
in futurum usum praeclaram  
consecrat pater  
dissertationis his clinicae  
MDCCLXXXIII. M. May.

Xc, 37.

5

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS  
TRADENS  
**COMPENDIOSAM**  
**ET CLINICAM PRAXIN**  
**HÆMORRHAGIARUM**  
**CUM CAUTELIS,**

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGI-  
CO, SUPREMI JURIS PRINCIPE ARAUSIONensi, DUCE MAGDEBURGI, CLI-  
VIÆ, JULIACI, MONTIUM, STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM,  
VINIDORUM, ET IN SILESIA, CROSNAE, CETERA,

SUB PRÆSIDIO

**DN. FRIDERICI HOFFMANNI,**  
MED. D. EJUSD. ET PHILOSOPH. NAT. P. P. ORDINARII, PO-  
TENTISSIMI REGIS BORUSS. CONSILIARII ET ARCHIATRI

h. t. DECANI,

PATRONI AC PROMOTORIS SUI  
AD CINERES USQUE DEVENERANDI

**PRO LICENTIA**

Summos in ARTE MEDICA honores jura & Privilegia  
DOCTORALIA more majorum, legitime assumendi

d. Julii Anno Salutis MDCCV.

IN AUDITORIO MAJORI

horis ante & pomeridianis,


publico Eruditorum examini submittit

**GODOFREDUS Ennrich**

Schönborna-Silesius.

---

HALÆ MAGDEB. Literis CHR. HENCKELII, Acad. Typogr.





DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA  
PROPONENS

HÆMORRHAGIARUM  
PRAXIN CLINICAM ET  
COMPENDIOSAM.

PRÆFATIO.



Anguinem esse optimum vitæ thesaurum, qui custodiri & servari debeat, quique animæ ipsius quasi vehiculum & instrumentum sit, sapientissima antiquitas pulchre ac scite pronunciavit. Cum sanguine enim vita amittitur, perit robur ac vis omnis vitalis cunctis corporis membris, sanguine etiam absente vel ejus motu per cerebrum impedito protinus animæ omnis operatio concidit atque extinguitur. Nihilominus & hoc verissimum est, sanguine nimium abundante nihil existere pernitio-

A 2 sius,

sius, quod corpori universo ac vitæ minetur ac struat ruinam. Igitur illud idem quod est vitæ fundamentum, mox ejus destructivum evadit.

Inutilis enim omnis, etiam temperatissimus sanguis est nisi progrediatur & circuletur per corporis omnis generis canales, nam qui circulatur tantummodo vitæ & sanitatis fons est; hic animæ conjunctionem ac nexus cum corpore perficit. Ex quo facile intelligitur nimium sanguinem quia non potest commode in circulo suo moveri, atque a natura regi & subigi, non modo noxam inferre; sed gravissimorum malorum, imo ipsius mortis causam constituere efficacissimam. Quapropter natura divina illa morborum medicatrix providissimo consilio sanguinem quantitate peccantem cum saluberrimo successu atque eventu per varias vias saepissime excludit.

Verum cum etiam interdum in excernendo sanguine natura plus justo excedat, vel per vias minus congruas id ipsum faciat, quandoque etiam plane inutilis & symptomatica sit talis evacuatio, hinc prudentis medici est hæc omnia probe distinguere & naturam vel in negotio hoc imbecillem adjuvare & stimulare vel erroneam corrigere aut excedentem componere, & quoniam hoc ipsum frequentius occurrit in praxi medica

apud

apud animum constitui in præsenti hoc argumen-  
tum agitare & ostendere qua methodo & quibus  
cautelis omnis generis hæmorrhagiæ tractandæ  
sint. Deus ter optimus maximus adiutor clem-  
enter nostris conatibus.

DE  
HÆMORRHAGIA NARIUM  
OBSERVATIONES.

I.

**N**arium hæmorrhagiis subiecti sunt. Maxime  
omnium pueri, adolescentes & juvenes; rarius  
iis corripiuntur adultiores & senes.

II. Qui habitum corporis obtinent turgidum, vasis  
copiosis & exilibus plenum, temperamento sanguinei  
sunt ingeniosi, lautè vivunt, corpus motu vehementer  
exercent vinum bibunt & venæ sectionibus non sunt as-  
sueta, narium hæmorrhagias frequentissime experiu-  
tur.

III. Tempore vernali & autumnali, præsertim in  
diuturna austrina constitutione, sicuti omnes commo-  
tiones & evacuationes sanguinis, ita etiam per nares so-  
lennes & ordinarie in dispositis accidentur.

IV. Hæmorrhagiam imminentem præfigunt ca-  
pitis dolor gravatus, facies tumida, pullatio vehemens  
arteriarum circa collum & tempora, faciei & oculorum  
rubor narium siccitas & pruritus, lachrymarum invo-  
luntaria effusio, colli tumor!

V. Quandoque in periodica & consueta hæmorra-  
gia

gia præcedit extermorum frigus præsertim pedum, alvus adstricta, dolor tensivus circa hypochondria.

VI. Quando sanguinis ordinaria per nares evacuatio supprimitur sive per adstringentia, externa & interna sive nimium refrigerantia, dolor capitis vertigo, aurium tinnitus, ophthalmia, otalgia, erysipelas capitis angina, angustia pectoris in adultioribus etiam apoplexia supervenire solent.

VII. Periculosæ sunt omnes hæmorrhagiæ narium in hypochondriacis, cachecticis & hydropicis, morbos enim hos reddunt detersiores; funestæ etiam plerumque excessivæ in malignis, petechialibus & continuis, quoniam defraudent vires; tolerabiliores in variolis morbilibus, febribus intermittentibus.

VIII. Notabile est quod in omnibus fermè hæmorrhagiis pulsus soleat esse major & vehementior, appetitus vero debilior cum oris siccitate.

#### C U R A T I O.

##### I.

**N**imiae hæmorrhagiæ versatur in eo ut sanguini impetuofus ex partibus remotis delato ad caput liberum & expeditum transitum concedamus ejusque circulationem per corpus æquabilem efficiamus eum, a capite divertamus, nimiasque tensiones & constrictiones viscerum & partium in remotis partibus corrigamus. Medicamenta huic scopo inservientia sunt sequentia:

II. Exhibeat pulvis nitrosus cum pauxillo camphoræ animatus: Recipe nitri crystallati optimi indici drachmam semis camphoræ granum unum essentiaæ anodynæ guttas quatuor; detur cum aqua florum tilæ

liæ, primulæ veris vel aqua fontana pura singulis tribus horis.

III. Injiciatur in potum tinctura florum bellidis vel rosarum cum phlegmate vitrioli & spirit. nitri rectificat. præparata indendo mensuræ cerevisiæ unciam semis: Vel recipe spiritus nitri dulcis & spiritus vitrioli dulcis ana drachmam unam, spiritus salis ammoniaci guttas X. dentur pro dos. guttæ 40.

IV. Immittantur pedes usque ad genua aquæ calidæ.

V. Venæsectio instituatur in brachio tres vel quatuor uncias sanguinis educendo.

VI. Externè sequens epithema utile erit: Recipe aceti rosacei, aquæ spermatis ranarum ana unciam unam nitri drachmas duas, spiritus vini camphorati drachmam unam semis, olei ligni rhodii scrupulum unum, opii scrupulum semis: hoc epithema collo fronti cum linteo duplicato frigide applicandum est, nisi morbus acutus cum exanthematibus id impedit.

VII. Tinctura terræ catechu cum solutione vitrioli immittatur in nares, si nimium enormis fuerit hæmorrhagia.

#### C A U T E L Æ.

##### I.

**H**æmorrhagiæ criticæ probè sunt distinguendæ à symptomaticis adeoque consuetæ & salutares non vicohibendæ, nec per interna nec per externa styptica, alias gravissima mala sunt metuenda, profunt tamen pulveres bezoardici nitroſi, spiritus nitri item vitrioli dulcis.

II. Hoc etiam observandum est in febribus continuis

nuis & intermittentibus item in variolis & morbillis.  
Quandocunque hic sanguis cohibetur præfens hisce in  
morbis adeft delirium.

III. In omni hæmorrhagia alvum apertam servare per clysteres vel per salia aperitiva, optimum confitum est.

IV. Ab aëre frigido corpus præsertim pedes sunt defendendi alias sanguinis fit translatio ad caput major, præstat potius totum corpus servare in blando & moderato lefft ac hypocausti calore.

V. Ad externa styptica & fistentia accedendum non est, si pedes frigent facies pallet ; item in principio, sed debet præmitti venæfectio, quando totum corpus æqualiter calet & in diaphoresi jacet, conferunt.

VI. Ligaturarum applicatio, pulveres sympathetici, gestatio bufonis sub axilla, omniaque amuleta, nec non inspersio aquæ frigidæ ex improviso in nucham, partim non certa & fida, partim non secura sunt remedia.

VII. Externè spiritus vini rectificatissimus toti abdomini & hypochondriis applicatus egregiam opem quandoque tulit spasmos partium harum fistendo sanguinique liberum cursum per has partes efficiendo.

VIII. Præservant à nimis hæmorrhagiis exercitationes moderatores, abstinentia à victu pleno, aromatibus, spirituosis, medicamentis aloëticis &c.

IX. Præservant venæfectio circa æquinoctium instituta, infusa rhabarbarata cum passulis, tamarindis, pulveres præcipitantes nitrosi, usus acidularum &c.

DE

DE  
HÆMOPTYSI.  
OBSERVATIONES.

## I.

**D**istinguitur hæmoptysis a sputo cruento, quod screatu excernitur, & ex interiore gurgulionis fau-  
cium ac narium ductu emergit, hoc enim parcus  
& obscuro colore tinctum est & pituita permix-  
tum. Distinguitur præterea à sputo cruento, quod pro-  
venit ex arteria aspera parcus quoque, & cum tussi pru-  
ritu sapore falso comitatum est, atque è vasculis tunicæ,  
quæ bronchia vestit, erosio proficiuntur.

II. Sanguis, qui ex pulmonibus immediate pro-  
venit, est fluidus floridus & cum impetu sæpius fit ci-  
tra tussim violentam vel vehementem. Conjugitur  
hæmoptysi gravatus pectoris dolor, respirandi diffi-  
cultas atque angustia propter sanguinem ibi congestum.

III. Affectus hic perquam familiaris est juvenibus  
adolescentibus præsertim ab anno 20. usque ad 30. vel  
35. & maxime iis, qui habitus corporis sunt laxi atque  
spongiosi, vasorum angustiorum & temperamenti vul-  
go sic dieti sanguinei, in quo statu sanguis ordinario  
impeditius movetur. Rarius vero hæmoptysi labo-  
rant, qui vasa habent ampla & corpore robustiore ac  
compactiore prædicti sunt.

IV. Sanguineo phlegmatici cachectici & qui faciei  
pallidæ sunt, ad hunc affectum valde inclinant, maxime  
omnium vero literati sedentaria vita gaudentes, hypo-  
chondriaci.

V. Iracundia, terror, motus corporis vehementior

B abu-

abusus vini perfrigeratio à ventis maxime septentrionalibus excitant in dispositis facillimè hoc malum.

VI. Observatione constat, quod illi, qui multum clamant, vociferantur, concionatores & qui in aere frigido fortius corpus movent, proclives sint ad hunc affectum.

VII. Conjungitur plerumque huic gravissimo affectui flatulentia circa primas vias & præcedere solet maxime hanc ejectionem cruentam frigus partium externarum, cutis horripilatio vasorum detumescentia & sanguinis quasi ascensus sensibilis ex partibus inferioribus ad ipsa præcordia.

VIII. Illud observandum, quod qui semel vel aliquoties hoc affectu affligitur, f. equentius in illum ipsum incidere soleat, & si parum recte curetur, tabem vel phthisin & hecticam febrem post se relinquat, si vero legitime curatur & regulæ diæticæ observantur, omnis periculi expers est & non difficile negotio persanari potest, nisi jam ipsa viscera in hypochondriis sita plane destrueta & obstructa fuerint.

### C U R A T I O .

#### I.

**V**ersatur in eo, ut sanguini liber circulus non tantum per pulmones sed per totius corporis vasā concilietur ac concedatur, simul obstructions & spasmodicæ contractiones, quæ occasionem huic malo subministrant, tollantur. Expediri hoc potest sequenti methodo: nempe in paroxysmo consultum est, nisi jam magna quantitas sanguinis profluxerit.

I. Venam secare brachii vel pedis, ut sanguinis motus à pectori divertatur.

II. Pul-

II. Pulvis præcipitans nitrosus D. Præsidis offera-tur singulis quatuor horis.

III. Præsentissima potio hæc est. R. aquæ plan-taginis unc. duas Sp. nitri rectif. gt. 12. Sp. vitrioli dulcis gt. 20. misce pro una dosi.

IV. Si hæc non sufficiunt resistendo malo tinctura antiphthisica Gramanni cum essentia anodyna dimidia parte remixta ad guttas 30. vel 40. sumi potest.

Extra paroxy sinum cura ita dirigi debet

1. R. antimonii martialis cache&tici, nitri purificati, arcani duplicati ana drachm. unam Misceantur : fiat pul-vis dividatur in doses 6. de quibus singulis diebus una matutino tempore est assumenda.

2. R. Extracti rhabarbari, fumariæ agrimoniae centaurii minoris carduibenedicti limaturæ martis myrræ succini ana scrup.un. salis succini grana x. Misceantur: fiant pillulæ ex scrup.un. num. 20, de quibus circa noctem semper sumi debent 12. Hæc enim blande alvum stimulant bilem acremeducunt, digestionem & sanguinis spiritua-scentiam promovent, stagnationi resistunt. Consultissime etiam his pillulis addi potest extractum castorei & cam-phoræ momentum, ut spasmadicæ contractioni satisfiat.

3. R. tincturæ tartari drachm. duas, salis volatilis oleosi Sylvii drach.unam, misceantur, dosis sunt guttæ triginta.

### C A U T E L A.

#### I.

**I**N hoc affectu omnia styptica fortiora nec non narcoti-ca fugienda sunt, quæ menti solent stuporem arcessere item omnia austera opiate in fortiore dosi vitanda, hæc e-nim anxietates & oppressiones pectoris suffocatorias ex-

citant, phthisin asthma progignunt & firmando viscerum obstrukiones gravius reddunt malum.

II. Venæ sectione præcaveri potest malum si verno vel autumnali tempore maxime circa æquinoctia instituatur, consultius vero est temperantia, & blandiorum laxantium usū sanguinis nimiam generationem præpedire.

III. Qui dispositi sunt ad hunc affectum, omni studio caveant aëris inæqualitatem, præsertim frigidos boreales ventos, item temperent sibi ab iracundia, ad quam ordinario solent esse paratissimi.

IV. Vulgaris est sententia, salia volatilia sanguinis ebullitionem augere & promovere ejus fluxiones, quod etiam suo tempore & loco salvum est: Verum cum hæc remedia antispasmodica insigni virtute gaudeant, & plerumque spasmi periodicæ hæmorrhagiæ causa existant, certa & frequens experientia docuit, sale volatili oleoso anisato ad guttas 20 propinato 2 horis ante invasionem sublatam consuetam hæmoptysin in monento fuisse.

V. Quando malum nimis pertinax est, accedendum ad anodyna & antispasmodica, ex quorum classe laudandæ sunt pillulæ de styrace, de cynoglossa, it. pulvis ex rasura dentis hypopotami rhinocerotis unicorni animali hæmatite præparato fernine hyoscyami.

VI. In paroxysmo clystere alvus aperienda & manus immittantur in vinum calidum, ita egregie sangvis derivatur à pectore.

DE

¶ (13) ¶

DE

## NIMIO MENSUM FLUXU.

OBSERVATIONES.

I.

**I**Mmodicus sanguinis ex utero fluxus dicitur, quando vel nimia quantitas cruentis simul & semel excernitur, ut sit in abortu, vel quando diutius menses ad dies decem vel quatuordecim durant, aut fluxus bis intra mensis spatium revertitur.

**II.** Quando cum copia sanguinis simul ejicitur viscosus nigricans, foetidus, vel acris genitalia erodens, denotat cacoehiam & dyscrasiam sanguinis scorbuticam.

**III.** Solet nimium mensum profluvium valde familiare esse temperamento sanguineis, quae spongiosi & porosi habitus corporis sunt, vasaque multa & angusta habent; quæque sunt activæ & sensibilioris naturæ, alvi tardioris vel etiam hypochondriacis & hysterics passionibus obnoxiae.

**IV.** Comitatur nimium sanguinis profluvium ut plurimum tensio & inflatio hypochondriorum dolor gravatus circa lumbos, inguina, flatulentia abdominis cum appetitu dejecto. Accedit horripilatio extermorum, facies fit pallida, vasa detumescunt, relaxatur, humidior & tumidior fit vagina, jungitur quandoque etiam dolor in capite, auxetas circa præcordia.

**V.** Diu durans immodicum uteri profluvium disponit corpora ad cachexiam, febrem lentam, pedum cœdemata, hydropem, tabem, magnamque debilitatem affert toti corpori.

**VI.** Disponunt ad hunc fluxum abusus acidorum,

vita sedentaria, nimius corporis motus, affectuum animi intemperies, alöeticorum & nimis pellentium usus  
Venaë sectionis consuetæ intermissio, cachexia.

## CURATIO.

## I.

**A**lia est in paroxysmo, alia extra paroxysmum in eo respiciendum est a medico, ut circulatio sanguinis per universum corpus libere & æqualiter dispensetur, simulque spasmi abdominis & viscerum qui urgent sanguinem & impetuose illum congerunt circa uterum, sedentur, cui scopo satis faciunt sequentia:

## I. Detur mixtura sequens:

Recipe aquæ plantaginis portulacæ ana uncias duas, acetum unciam semis, coralliorum rubrorum drachmam unam, essentiæ anodynæ gutt. 10. syrapi papaveris rhæados drachmas tres; misce dentur duo vel tria cochlearia pro una dosi.

## II. Valde proficius est sequens pulvis:

Recipe hæmatitis præparat. drach. unam, nitri purificati drachmam semis, camphoræ granum semis Misce fiat pulvis dividatur in tres doses.

III. Recipe essentiæ coralliorum cum spiritu nitri dulcis & vitrioli dulcis secundum compositionem Dr. Præsidis unciam semis, dentur gutt. 40. hæc essentia egregie fistit spasmos & tumultum ac orgasmum effrenem sanguinis & spirituum sedat.

IV. Acetum rosaceum cum camphora, nitro, saecharo Saturni, oleo ligni rhodii mixtum lumbis & pubi linteo commode applicetur.

Remittente fluxu transeundum est ad ea quæ obstru-

ctio-

ctiones referant, tonum partium roborant & noxias irritantes humores per alvum evacuant, quo nomine commendamus usum pilularum polychrestarum Dn. Præsidis vel Becherianarum, quæ justa dosi singulis septimanis ter sumi possunt.

V. Frequens sit usus martialium, inter quæ laudem merentur tinctura martis cydoniata, tinctura martis Zwölfli, item antimonium martiale cachecticum, vel solum vel cum arcano duplicato mixtum, interpositis semper passulis rhabarbarinis, & tamarindatis.

VI. Sal volatile oleosum Dn. Præsidis moderate sumtum inter cibos ad gutt. 20. vel 30. spirituascentiam sanguinis blande promovendo, obstrukciones restringendo utilissimam confert opem.

### C A U T E L Æ.

#### I.

**I**Pso in paroxysmo convenit brachia cum manibus immittere vino calido, si vero fuerint pauperculae sufficit tantum aqua calida.

II. Venæ sectio ad divertendum sanguinem ab ute-  
ronon in pede sed in manu instituatur; in principio autem ut administretur consultum est; statim vero post san-  
guinis missionem in calore temperato & blanda diapho-  
resi corpus servandum est.

III. Adstringentia ac styptica valde disponunt  
ad Phthisim, malum hypochondriacum, inflationes vi-  
scerum, molas, inflationes & abscessus in utero & hu-  
jus generis alia.

#### IV.

IV. Acidularum potus item thermæ Carolinæ hoc malo correptis valde sunt proficuae, abstineant autem ab hisce præsente sanguinis fusione, præservant enim magis quam curant.

V. Effuso nimium & cum impetu sanguine per uterum sive in abortu aut partu, abstinentum omni modo est à copia alimentorum, victu pleno, natura enim debilis subigere dum hæc nequit præparat cruditates gravium chronicorum morborum procreatrices, potius parum edendum est, sed sæpius, & juscula confortantia ex carnibus sumenda.

V. A veneris usu tali in casu abstinentum est; vitanda quoque omnia intemperata, nimium frigus, æstus, motus corporis æque ac animi vehemens. Mens tranquilla corpus quietum, alvus aperta commendantur.

DE  
NIMIO HÆMORRHOIDUM  
FLUXU.

OBSERVATIONES.

I.

**N**imium fluere dicuntur hæmorrhoides quando sanguis largiter non modo, sed & longo tempore profluit, dum alvus deponitur & corpus simul imbecillum ac languidum reddit.

II. Quicunque in adolefcentia vel juventute per frequentes habuerunt narium hæmorrhagias, ii si facti fuerint adulti facile afficiuntur hæmorrhoidum fluxu, præsertim si lauti vivunt, diæta vinosa utuntur, otio indulgent, longè magis vero si fuerint hypochondriaci.

III.

III. Hæmorhoides sunt vel internæ vel externæ; plerumque fluunt internæ & tunc præcedunt dolor & gravitas lumborum, flatulentia in hypochondriis, ardor & quasi palus infixæ in osse sacro hærere percipitur.

IV. Nimium & longum hæmorrhoidum profluvi-  
um testatur de viscerum infarctu à sanguine stangnante,  
de eius circulatione, per abdominis viscera valde impedita,  
quæ omnia dum vires prosternuntur increscunt, & sic  
via panditur ad malum habitum, hydropem, asthma,  
lentamque febrem.

V. Nihil periculosius est quam consuetum hæmor-  
rhoidum fluxum, etiam quando nimius est fistere vi, sty-  
pticis fortioribus atque narcoticis; facile enim transitus  
fit ad cachexiam atque hydropem.

*C U R A T I O.*

**E**O potissimum dirigenda in & extra paroxysmum,  
ut libera progressio sanguinis per abdominis viscera  
& hypochondria concilietur, spasmodicæ contractiones  
fistantur & nimius orgasmus sanguinis componatur. Cui  
scopo inserviunt sequentia:

I. Utilis est pulvis præcipitans nitrosus cum cam-  
phora mixtus vel sine ea propinatus; nitrofa mitigando  
humorum acrimoniam, æstum ac orgasmum nimium  
deprimendo, omnibus hæmorrhagiis quadrant.

II. Spiritus nitri vel etiam spiritus vitrioli dulcis non  
vulgares, sed debita encheiresi præparati, virtute anti-  
spasmodica spectatissima imbuti sunt, & frequentius intra  
potum sumantur.

III. Creber usus pillularum polychrestarum ex  
extractis amaris & gummatis resinosis, balsamicis præ-

C pa-

paratarum addito croco martis tenuissimo aperitivo; tales pillulæ roborate aperitiva & balsamica sua vi egregie in ordinem redigunt stagnantem sanguinem, ipsumque depurant per universi corporis emunctoria.

IV. Martialis liquida teinperata præfertim extra paroxysmum etiam in ipso utilem conferunt opem, uti sunt: Tinctura martis Zwölfferi, mars solubilis Willisi, tinctura martis cydoniata, vinum chalybeatum rhabarbarinum passulatum.

## CAUTELÆ.

## I.

**V**ENæ sectio debito tempore instituta nempe circa æquinoctium in dispositis præservat ab hoc affectu; ipso influxu etiam admitti potest.

II. Si hemorrhoides fuerint externæ pulvis Colophoniæ vel sanguis draconis cum albumine ovorum mixtus non sine successu applicatur.

III. Quando dolor inflammatorius intestini recti cum tenesmo excipit nimium fluentes, interne nitrosa in liquida & solida forma, pilulæ polychrestæ item Becherianæ utiles sunt; per clysterem oleum lini recens applicare conducit.

IV. Purgantia omnia, aloëtica quoq; clysteres acres in nimio hæmorrhoidum fluxu cane angueque pejus fagienda, neque ascendendum facile ultra rhabarbarina, quod in substantia cum tartaro tartarifato præsentissimi effectus sunt.

V. Ad fortiora styptica, narcotica, item ex hyoscyamo parata transendum planè non, vel rarissime est, metu, ne turbæ graviiores transeant in mentem vel chronicorum affectuum fundamentum constituatur.

VI. Ni-

VI. Nihil magis exacerbat hoc malum quam vini aut spiritus vini ingurgitatio, adstringentium internus usus, aloës immodica exhibitio, ira, corporis motus & flatulentus cibus.

## DE MICTU CRUENTO.

### OBSERVATIONES.

#### I.

**C**ognoscitur vel ex sanguinis grumis fundum in urina potentibus vel ex colore urinæ sanguineo, consistentia crassiori vel denique ex evaporatione, quando permanentia carbonibus iniciitur fœtos & empyrevma male olens naribus fœsi offert; judicatur vero facillime affectus quando purus sanguis effluit.

II. Ex renibus originem dicit, quando lumborum dolor fixus & acerbus præcesserit, vel etiam dolor circa ilia & ingvina gravatus percipitur, interdum horrendus dolor circa pubem præcedere solet cruentæ mictioni, dum sanguis congrumatus stagnans in ureterum ductu obliquo circa introitum vesicæ, distensionem dolorificam parit.

III. Quando ex vesica vel urethra sanguis profluit, dolorifica cum ardore mixtio obseruatur, nec non paucus sanguis cum pure vel ichore mixtus prodit.

IV. Stillicidium sanguinis ex præputio rarer affectus est; distinguitur vero à mictu cruento, dum illud continuo fit & citra urinæ missione, hic vero in mictionis conatu tantummodo invadit; illud guttatim stillando, hic cum urina profluendo accedit.

V. Cruenta mictio symptoma solet esse eorum qui

nephritide laborant, vel hypochondriaci sunt, sanguinē abundant & consuetas olim habuerunt per venas sedis emissiones cruentis.

VI. Accidit interdum hic adfectus in juvenili aetate apud cholericos, post haemorrhagiam narium consuetam cessantem a vini potu laetiori sine ullo damno.

VII. Urina cruenta in variolis, morbillis, petechiis, peste, magnum praenunciat periculum.

VIII. Arte inducitur ab improviso usu stimulantium, nempe cantharidum, oleorum calidissimorum praeferunt balsami sulphuris terebinthinati olei juniperi &c.

IX. Fit quoque a causa externa, casu ab alto, contusione & gravi in lumbis percussione.

X. Criticum & salutarem observavimus cruentum mictum in vetula pectoris oppressione & gravibus incommodis circa abdominis viscera afflcta.

#### C U R A T I O,

**D**rigenda est pro causarum indole

I. Quodsi malum fuerit ex plethora vel sanguinis consueta excretione suppressa, venæ sectio juvat.

II. In morbis acutis & ab acrimonia salina venientibus nitrosa cum pauxillo camphoræ, item emulsiones ex feminib. 4. frigidis nec non papaveris albi semine, omne indicationis punctum absolvent.

III. Si ex cantharidum usufit, lacticinia in copia sumta juvant.

IV. Si ex calculo oritur, oleum amydi, dulc. præsens erit remedium, item insessus ex emollientibus paratus.

V. In nimia sanguinis ebullitione procurata a calidioribus a vini potu, nitrosa & acidulæ opem ferent egregiam.

Call.

I.

**S**icuti in omni excretionē sanguinis nimia styptica & narcotica fugienda: ita etiam in hac ipsa, facile enim succedit inflammatio & ulcus renū, vesicæ & postea hectica.

II. Motus corporis præsertim vectio in curru, quando malum præsens est, hoc exacerbat, alias ad præservationem egregius est & quandoque in totum passionem hanc aufert nisi in partibus solidis lateat labes.

III. Egregius est in tali affectu potus calidus, substi-  
tuendus herbae thee, & paratur ex melissa agrimonie,  
pimpinella, radice glycyrrhizæ, veronica, hederæ terre-  
stri &c. in paroxysmo & extra paroxysmum proficuus.

IV. Si adeat hypochondriaca affectio, usus rhabar-  
barinorum, martialium & pilularum balsamicarum D.  
Præsidis commendationem meretur.

V. Quando fluxus nimius & impetuosius est, cohi-  
beatur mixtura sequenti.:

Recipe aquæ plantaginis portulacæ uncias duas aceti  
deftillati drachmas sex, coralliorum rubrorum scrupulos  
duos, hæmatitis præparati scrupulum unum, laudanio  
opati grana duo, syrapi myrtillorum drachmas duas.

VI. Epithema discutiens ex aqua florum fambuci,  
aceto rosaceo, spiritu vini camphorato, nitro paratum &  
tepide regioni inguinali iliacæ & lumbis applicatum non  
contempnendam præstabit operam.

VII. Vitentur omnes animi affectus, omne frigus  
præsertim ventus septentrionalis, equitatio, omnia salita  
acria, spirituosa.

VIII. In morbis acutis & malignis mictus cruentus non sistendus est opiatis, quæ etiam maxime nocent si infarctus sanguinis circa renes & abdominis viscera in causa est, ubi etiam a lacticiniis cavendum & incrassantibus, camphora ubi temperamentum cholericum, ætas juvenilis, exulet.

DE  
VOMITU CRUENTO ET SECES-  
SIONE NIGRA PER ALVUM.

OBSERVATIONES.

I.

**A**ffectus hic foemini magis familiaris est quam viris, quoniam hic sexus sanguinis excretiones consuetas & ordinarias habet, quæ si supprimantur vel turbentur, natura facile per insuetas vias exitum sanguinis molitur.

II. Accidit vomitus cruentus sæpiissime foemini circa mensium tempus ordinarium, quando illi consuerunt fluere; ipsum comitantur alvi adstrictio, murmur ventris, dolor tensivus hypochondrii sinistri dorsi.

III. Observavimus vomitum cruentum in foemini annosioribus morbillis & variolis laborantibus inter morbi intia, sine tamen periculo.

IV. Malum hoc præsens vires prosternit, anxietatem præcordiorum cum sudore frigido parit, valde periculorum viris lienosis, hypochondriacis, præsertim si per alvum simul excernitur nigricans, fetida materia, & tunc affectus dici solet morbus *Hippocratis*.

V. In morbo nigro teste autopsia anatomica, plerumque lien magnus, obstructus vel induratus aut corrup-  
tus

ruptus vasa brevia lienis nimium distenta & sanguine,  
infarcta & disrupta sunt in intestino ileo identidem va-  
sa sanguinea rupta nigricantem materiam in eorum ca-  
vitudinem ejiciunt.

VI. Vomitus sanguinis periodice recurrens in fœ-  
minis circa tempus mensium prænunciat graves obstruc-  
tiones in hypochondriis, sanguinisque ibi interceptum  
motum, & hinc minatur cachexiam scorbuticam, tabem,  
hydropem.

VII. Notatum dignum est, quandoque nigrum alvi  
fluxum evenire in hypochondriacis, in tumoribus ery-  
sipelaceis, cancerosis.

VIII. Quando feces nigræ alvinæ incredibili foetore  
sunt stipatae, lethale indicium est.

IX. Observavimus vomitiones nigras in partu dif-  
fici, lethales tamen.

#### C U R A T I O .

**N**ititur hac indicatione, ut sanguini liber cursus per to-  
tum corpus mediante blanda diaphoresi concilietur,  
& qui stagnat in primis viis, blande educatur, tandem ob-  
structiones & infarctus sanguinis in hypochondriis resol-  
vantur, quem in finem conferunt sequentia:

I. In paroxysmo liquor noster bezoardicus de-  
scriptus in praxi clinica febrium singulis duabus horis  
ad guttas 30 offeratur cum aqua menthae sine vino.

II. Recipe: rhabarbari pulverisat idrachmam semis,  
solutionis oculorum cancri, nitri purificati, ana grana-  
tex: misce fiat pulvis pro una dosi.

III. Clyster emolliens ex lacte, nitro, syrupo viola-  
rum & oleo rosarum paratus exhibeat.

IV. Externe cataplasma coctum cum vino rubro ex-

ab-

absinthio, mentha, floribus rosarum rubrarum, laven-  
dulae, chamomillæ romanæ, nucista, caryophyllis, ca-  
lidè regioni epigastricæ & umbilicali applicandum est.

Extra paroxyfimum commendamus usum pilula-  
rum polychrestarum vel etiam infusum laxativum cha-  
lybeatum rhabarbarinum, tincturas martiales tempe-  
ratas.

C A U T E L A E.

I.

**Q**VANDO ab assumto veneno proficiscitur malum, the-  
riaca cum magna quantitate olei amygdalarum dul-  
cium propinetur.

II. Ex retardatione mensium si oritur, venæsectio  
commode institui potest in pedibus, convenit quoque  
hæc ipsa in vomitu cruento symptomatico febris con-  
tinuis complicato in initio.

III. Ab omnibus stypticis acidis, austenis studiose-  
cavendum, hæc enim anxietates præcordiorum, inqui-  
tudinem, cardialgias efficiunt atque augent.

IV. Nunquam frigida sunt offerenda, quæ sanguinem  
coagulando mirifice nocent & ventriculum ad in-  
flammationem disponunt, semper vero tepide ac calide  
bibendum est infusum veronicæ, scorzoneræ, hederæ  
terrestris, florum hepaticæ vulgaris.

V. Pediluvia quoniam æqualem distributionem san-  
guinis efficiunt & derivant eum ad partes externas ope-  
ram etiam locant egregiam.

VI. Quando syncope supervenit, balsamus vitæ  
Dn. Præsidis externe applicandus interne quoque ad  
paucas guttas sumendus.

F I N I S.

Uh 214

ULB Halle  
005 368 995



3

SL

N.C.



# Farbkarte #13



MEDICA INAUGURALIS  
TRADENS  
**ENDIOSAM**  
**ICAM PRAXIN**  
**RHAGIARUM**  
**CAUTELIS,**  
QVAM  
MAGNIFICENTISSIMO,  
PRINCIPE AC DOMINO,  
**EMPO WILHELMO,**  
, MARCHIONE BRANDENBURGI-  
ARAUSIONensi, DUCE MAGDEBVRGI, CLI-  
STINI, POMERANIE, CASSUBIORUM,  
IN SILESIA, CROSNAE, CETERA,  
B PRÆSIDIO  
**LICI HOFFMANNI,**  
LOSOPH. NAT. P. P. ORDINARI, PO-  
GORUSS. CONSILIARII ET ARCHIATRI  
h. t. DECANI,  
AC PROMOTORIS SUI  
ES USQVE DEVENERANDI  
**LICENTIA**  
EDICA honores jura & Privilegia  
IA more majorum, legitime assumendi  
ilii Anno Salutis MD CCV.  
UDITORIO MAJORI  
is ante & pomeridianis,  
ruditorum examini submittit  
**REDUS Emmerich**  
chönbörna-Silesius.  
eris CHR. HENCKELII, Acad. Typogr.